DE ASTRORUM

ET PRÆCIPUE

LUNÆ INFLUXIBUS

PHYSICO-CRITICA

DISSERTATIO

In Collegio Neapolitano Nobilium
Societatis JESU




NEAPOLI MDCCLIX.

Ex Typographia Josephi Raymundi

Superiorum Facultate.

Plus apud nos ratio valeat, quam vulgi opinio Cic. 1. Parad.

1. Elebris, ac vulgata multum eſt veterum philoſophorum opinio, aſtra omnia, ſeu fixa ea ſint, ſeu errantia, non modo ſuum lumen ad nos tranſmittere, ſed plurimorum etiam effectuum, qui in terra contingunt, cauſſas effectrices eſſe; idque Planetis potiſſimum convenire, ac præ cæteris omnibus Lunæ. Ea opinio, a viris magnis noſtris majoribus tradita, ſatis diu, multumque inveterata hominum animos ita præoccupavit, ut non pauci etiam nunc religioni habeant, lunares influxus, non dicam diffiteri, ſed vel in dubium revocare. Lunares dies hac etiam noſtra tempeſtate permulti ſunt, qui obſervant; in quorum numero præcipue recenſentur pauci quidam antiquioris ſcholæ medici, maxime Galenici, tum ruſtici pene omnes. Hi quædam facienda in agris potius creſcente Luna, quam ſeneſcente, & quædam contra, ſolemne habent. Illi Lunæ quoque augmenta, vel decrementa contemplantur, antequam ægrotis curandis medicinas adhibeant. Neque deſunt alii, qui non ovibus tondendis modo, ſed in propriis etiam capillis id ſervant inſtituti, ne tondentes calveſiant. Item alia iſtis ſimilia obſervant alii.

2. Id hac ſuper re fixum, ratumque penes omnes videtur, Solem nempe multimodis in hæc terreſtria influere. Si enim plantæ adoleſcunt, ſi frumentum flaveſcit, ſi fructus maturitatem adſequuntur, utique a Sole, tanquam præcipua ho-

 rum

rum caussa, ea omnia obtinentur. De cæteris vero astris, agant nec ne similiter illa, res in quæstione versatur. Mihi heic placet ab antiqua institutione desciscere, non quod vetera omnia fastidio sint, ac sicuti vestes, ita philosophandi opiniones videantur exolescere, ut queruntur gravissimi antiquitatis patroni; sed quod physicarum rerum notiones non veterum auctoritate, neque vulgi opinione, sed consilio, ratione, experientia metiendas esse, existimo.

3. Ne autem longum faciam plusquam oportet, ea dumtaxat rationum momenta leviter attingam, quibus lunares influxus impugnari, immo etiam convelli, videntur. Quandoquidem, si Luna, quæ proxime terram suum peragit cursum, nihil quicquam in hæc terrestria influere posse, ostenderim; multo minus præstare id poterunt cætera quæcunque astra longissime a terra disjuncta. Id autem, ut clarius ostendam, explicemus primum, oportet, quid sibi velint influxus isti. Porro horum nomine nihil aliud a suis auctoribus significatur, nisi effluvia quædam, seu corpuscula calida, vel frigida, sicca, vel humida, aut alia quapiam qualitate prædita, prout vis fert, & natura ejus astri, a quo manant, & unde ad nos deferuntur. Siquidem ponunt ipsi Saturnum frigidum, Martem calidum, & siccum, Lunam vero apprime humidam.

4. Jam vero, ut ad rem propius accedamus, illud primum objicio, quod nempe ad libidinem omnino fingitur, quidquid de qualitatibus, & natura uniuscujusque astri constituitur. Etenim si

ma-

magna nos occupat ignorantia, quum terreſtrium, quæ nos circumſtant, naturam inſcrutari particulariter volumus; qui tuto definire idipſum poſſumus de corporibus Cæleſtibus tot milliariorum myriadas a nobis diſtantium, ut alia calida, alia frigida, alia humida nullo tacti falſitatis ſcrupulo audenter declaremus?

5. Verum iſtuc omitto, & naturam qualemcumque velint influxuum patroni, aſtra ſingula obtineant. Ut porro intelligamus, Lunam influere, copioſiſſima corpuſculorum effluvia e ſinu ſuo continenter ipſa emittat, neceſſe eſt: haud enim aliter id fieri, aut ullo unquam pacto percipi poteſt. Ex hoc vero aperte conſequitur, ſua Lunam circumambiri atmoſphæra, in quam non ſecus, atque in noſtra fit, effluvia coguntur, & nubes, ac nebulæ lunares efformantur, e quibus influxus deinde proficiſcuntur. Quidquod de lunari ſenſibili atmoſphæra dubitatur adhuc? Quidquod Hugenius, (a) aliique non pauci aſtrorum obſervatores, nullam Lunæ atmoſphæram eſſe, pro certo habent? Nunquid certus quidam effectus ex cauſſa, cujus exiſtentia eſt admodum dubia, inferri unquam poteſt? Haccine poſita rei dubitatione habuerit quiſquam influxuum Opinionem pro veritate jam explorata?

6. At Lunam ambiat atmoſphæra gravis, & elaſtica, in quam vapores, aliæque lunares exhalationes adſcendant, ut Wolfio, aliiſque quamplurimis viſum probabilius eſt. Quid tum inde? Nec

(a) *In actis Acad. reg. 1706.*

idcirco quidquam pro lunaribus influxibus Adversarii concluderent. Quæ enim erit caussa, quæ istiusmodi corpuscula ita in altum provehat, ut spatium 60 terrestrium semidiametrorum prætergredientia ad terræ usque atmosphæram pertingant? Num eorundem ipsorum gravitas? Gravia quippe ea sunt: at fatendum omnino est, vim, qua deorsum ferri propelluntur, minime in terram, sed in Lunæ centrum, ad quod pertinent, eam agere debere: alioquin timendum nobis esset, ne lunaria saxa multo iis graviora influxu admodum malefico (Deus meliora) supra nostrum caput similiter conciderent. Num ea ipsa erit caussa, quæ terrestria effluvia in altum tollit sive Solis calor ea sit, sive elementaris ignis nusquam non dispersus, sive quælibet alia? Ita sane lunarem atmosphæram, si quæ forte sit, generari intelligimus. At satis novimus, ab ea qualicunque caussa nequaquam indefinite, sed ad certam quandam a terra distantiam terrestria effluvia elevari. Nisi forte quispiam opinetur, nostras nubes ita aliquando sursum transferri, ut ad Lunam, vel ad alios usque Planetas perveniant, ibique pluvias efficiant, grandines, ventos, tonitrua, atque alias tempestates: quo quid ineptius dici, aut cogitari unquam potest?

7. Quemadmodum igitur terrestris atmosphæræ altitudo, unde unde proficiscatur, termino ipsa non caret, sed altius, quam 60 milliaria italica plerunque non excurrit: ita quum Luna sit tellure minor minimum quinquagies, facta proportione, ipsius atmosphæra milliarium unum, & quinta plus parte excedere non deberet, extra quam

lu-

lunaria effluvia prodire, haudquaquam per naturam liceret. Quid namque rei esset, cur nostræ nubes intra propriam deberent contineri atmosphæram, lunares non item? Una atque eadem est, ut ponitur, utriusque generis nubium elevationis caussa. Eadem quoque ipsa corporea effluviorum substantia. Cur, quæso, non eadem utrobique accidentia? Jam vero distantia media Lunam inter, & Terram 60 terræ semidiametris communiter computatur. Nostra itaque atmosphæra, quantum ex iis, quæ modo diximus, intelligere licet, a lunari distat circiter ducentis quadraginta millibus milliariis. Tantundem ergo a nostra atmosphæra disiungitur lunarium influxuum causa. Qui igitur fit, ut, tanto posito intervallo, hæc in illam agat? Credibilius sane foret, si quispiam putaret, ignem apud Indos accensum actione sua ad nos usque comburendos se extendere. Major enim est ignis operositas, quam influxus, multoque minor nos inter, & Indos distantia, quam inter lunarem atmosphæram, & terrestrem.

8. Sed demus etiam, si ita Adversarii velint, (quæ magna satis, immo & nimia concessio est) Lunares influxus miraculo, ut ita dicam, ad nostram atmosphæram tandem aliquando pervenire, secumque ferre noxios, vel utiles pro diverso Lunæ adspectu effluviorum torrentes. Ex hoc nihil pariter est, quod lætemur, nihil, quod extimescamus. Et sane præsumendum nunquam est, lunaria effluvia, postquam terrestrem atmosphæram forte adsequuta sunt, more jaculorum libere per aerem excurrentium, nullo opposito impedimen-

to, trajicere eam posse. Non enim ipsa sunt corpora firma, & ex duriore quadam materie compacta, sed massa quædam fluidissima ex lunarium corporum expirantium particulis mirifice comparata. Ex alia deinde parte, si aerem hunc nostrum atmosphæricum perpendamus, per quem illa transire deberent; hic quippe non est corpus simplex, & elementare, sed confusum omnis generis effluviorum aggregatum ex omnibus corporibus terrestribus emissorum; quorum respectu lunaria illa non solum perpauca, sed & quam minima esse deberent; tum ratione exsuperantiæ magnitudinis terræ præ Luna, tum longissimi illius itineris, quod absolvere oporterent, ut ad terrestrem pertingerent atmosphæram.

9. Jam vero ex hydrostaticæ legibus compertum est, atque omnibus manifestissime patet, fluidum fluido impositum, dummodo alterum altero non sit specifice levius, vicissim permisceri, implicari, dilui. Qui ergo fiet, ut influxus isti ut primum terrestrem atmosphæram contingunt, itidem cum ipsa non permisceantur? Vel enim eorum pondus illud exsuperat, quod proprium est terrestrium effluviorum, vel exsuperatur, vel demum æquat. Si primum; nonnisi ad minimam altitudinem supra Lunam ipsi elevarentur: quoniam si vapores, exhalationesque terrestres, quæ minoris, ut dicitur, sunt ponderis ultra 60. milliaria italica assurgere sursum nequeunt: Qui lunares iis ponderosiores eo altitudinis adscenderent; ut spatium 60. terrestrium semidiametrorum emetirentur? Si secundum; terrestrem atmosphæram

nun-

nunquam trajiciendo pertransirent, sed in ea utique supernatarent. Si tertium; cum nostra atmosphæra permisceantur, oportet. Si qua ergo in iis virtus adhuc inest, facta hujusmodi permixtione, quisnam dubitabit, eam usque adeo diminui, implicari, & attenuari, ut omnino disperdatur? Id quod eo magis fieri, credendum est, quod lunaria effluvia, si terrestribus comparentur, perpaucissima essent, ut paulo ante vidimus. Numne Spiritus vini guttula aquæ dolio permixta vel olet, vel sapit, vel aliud quidquam suæ vis amplius retinet? Quamvis igitur permittamus, lunares influxus in nostram atmosphæram posse aliquando descendere, nihil est, quod vel boni quidquam, vel mali, quum inde in Terram demitterentur, in nos inducerent.

10. Quid ni, inquiet fortasse aliquis Cartesii sectator, influxuum phœnomena una sola Lunæ pressione explicentur? Suo siquidem pondere ætherem sibi subjectum illa premit. Hic tali, ac tanta vi pressus aerem hunc nostrum atmosphæricum, cui superstat, itidem urget. Itaque præter pondus sibi proprium, quo aer corporibus terrestribus omnibus superincumbit, aliud, & quidem insigne a prementis Lunæ vi ipsi accedit. Ex quo facile liquet, aerem eo magis subjecta corpora premere, quo majori pondere & ipse premitur; aerisque pressiones varias ponderibus ipsis eum prementibus, *cæteris paribus*, directe respondere. Quod si animo revolvamus, Lunam non manere in eodem Cœli situ perseveranter immotam, sed tum locum in Zodiaco, tum etiam distantiam a Terra

ra ſingulis diebus indeſinenter mutare ; facile intelligimus , qua ratione atmoſphæræ pondus per Lunam diverſimode incumbentem varietur ; quaſque viciſſitudines corporum terreſtrium compreſſio per dies lunares patiatur . Quæ vero , & quam varia phœnomenorum genera in terreſtribus omnibus ex varia comprimentis aeris vi inde naſcuntur ; res eſt apud phyſicos omnes plane nota . Id ſolum heic meminiſſe , juverit , quod nimia aeris compreſſio tum plantis , quum omnibus animalibus plurimum obeſt . Propterea enim fit , ut nihil in ſodinis plantarum proveniat ; & in campana Urinatorum , ubi aer ab aquæ vi nimium comprimitur , homines multum anhelantes , & ſuſpirioſi ſint , ſanguinemque per os , nares , aures miſerandum in modum extrudant .

11. Non levia ſane veriſimilitudinis indicia hæc præ ſe ferre videtur ſententia ; eo vel maxime , quod ex moleſtia ſuperiorum difficultatum omnium ſatis ſcite ſe liberat . Verum plura ſunt , quæ hunc Lunæ influendi modum peſſundant prorſus . Longe inprimis ab hac Carteſii hypotheſi de materia ætherea abſunt Newtoniani omnes , qui , ne aſtrorum motus unquam retardaretur , per ſpatium omni materia deſtitutum , ea revolvi , pro comperto habent . Quum itaque hac noſtra ætate nihil aliud privatæ , publicæque ſcholæ præter unam Newtoni doctrinam crepent ; conſequitur , ut vel nulla ſub Cœlo ſit Lunæ preſſio , vel ſaltem contra tantos viros , qui eam oppugnant , plurimum ſuſpecta .

12. Sed quidquid ſit de memorata Newtoni do-

doctrina, illud deinde videtur extra omnem dubitationis aleam positum esse, quod aer hic noster vel nulli prorsus Lunæ pressioni subjicitur, vel adeo exiguæ, atque insensibili; ut nulli merito æquiparetur: Id quod simplicis barometri beneficio explorare permissum cuique est. Hoc sane instrumento (quod Tubum Torricellianum in laudem inventoris Torricellii alii vocant) inæqualem aeris gravitatem, eiusque ponderis varios vel minimos gradus cuncti exacte metimur. Quum argentum vivum, quod in eo continetur, ab aere inferum recurvati tubi orificium premente, sustineatur; ubi aeris pressio variari contigerit, ipsa argenti vivi altitudo variabitur, adeo, ut quo altius, vel depressius adscenderit, hoc aeris pressio magis, vel minus valida sit, oportet. Porro autem, quum inter cæteras barometri observationes, quibus in multos menses operam navavi, id quoque explorare voluissem, num in Pleniluniis, Noviluniis, cæterisque Lunæ phasibus aliqua vel minima in barometro appareret variatio; unde aliam tum esse aeris pressionem forte intelligerem. Rem ipsam loquor, nihil, quod ad hoc spectat, adnotatu dignum in eo animadverti, factaque comparatione inter dies Plenilunii, Novilunii, aliarumque phasium, & præcedentes, & subsequentes dies nullum omnino in iis discrimen comperi; quin, quod super omnia ad rem hanc illustrandam valet, ne ullum quidem variationis signum in eo observavi, sive Luna supra horizontem esset nobis conspicua, sive infra ipsum delitesceret. Quid adhuc desiderari potest, ut certo rem

hanc,

hanc, perinde, ut eſt reapſe cognoſcamus? Videtur ſane iſto clariſſimo experimento, omnis de Luna noſtrum aerem premente controverſia finita jam eſſe.

13. Demum ne dum falſa ea hypotheſis, atque experimentis contraria, ſed ne phœnomenis quidem explicandis par eſſe, videtur. Etenim ſi influxuum phœnomena nonniſi Lunæ prementis actione perficerentur; id conſequitur, ut quo Luna magis directe, & perpendiculariter terreſtribus imminet, eo Lunares effectus uberiores futuri eſſent, & magis conſpicui: tum nanque Lunæ compreſſionem, ſi quæ forte exiſteret, vehementiorem fieri, manifeſtum eſt. Conſtat autem, tempus, quo Luna directius nos reſpicit, illud procul dubio eſſe, quo ipſa diurna ſua volutatione ad verticem Meridiani accedit; id quod quotidie perpetuo accidit: non item, niſi rariſſime, id tempus obtingit, tum quum fit Novilunium, vel Plenilunium, vel quævis alia Lunæ phaſis, ubi, ut dicitur, celebratis influxibus ſumus ut quum maxime obnoxii.

14. Una reſtat via, ut lunares influxus ea vi ad nos perducantur, qua Tellus Lunam attrahit, & cum ea ſimul lunaria omnia: idque, ut Newtonianis morem geram, ſi forte unus aliquis ex ipſis ſit, qui iſti ſe ſententiæ adſcripſerit. At præterquam quod Cœleſtium influxuum defenſores de hac via, utpote quæ recens a Newtono deprehenſa, ſeu verius illuſtrata nunquam ne per ſomnium quidem cogitarunt: Illud primum in hoc novo præſidio magnopere miror, quod lunarium influxuum, eorumque mirorum effectuum machina,

quæ

quæ pro firma, & inconcussa a suis auctoribus adhuc est habita, tota quanta est, haud alio nunc innitatur fundamento, nisi puri Systematis; quod quidem etsi probatissimum plerisque philosophantium nunc temporis videatur, non est tamen hujusmodi, ut revera ita esse credatur.

15. Deinde si Lunæ influxus per vim Telluris attrahentem ad nos perferrentur, easdem omnino sequi deberent leges, quibus ipsa instruitur Attractio. Verum, si rem hanc accurate perpendamus, longe alias esse Attractionis, & Influxuum leges facile deprehendemus. Quas enim Influxus sequuntur, eæ potissimum certis quibusdam Lunæ diebus sunt affixæ. Attractio vero his notissimis legibus circumscribitur: ut nempe *sit materiæ quantitati proportionalis*; utque *ad inæquales distantias sit inverse, ut quadratum distantiæ*. Ex quibus id inferre licet, si quantitatem influxuum ad istarum legum normam definire, sit animus, nequaquam secundum Lunæ dies, sed potius pro ratione inversa Lunæ a Tellure distantiæ id totum supputandum esse: Quæ ratio, si cum Lunæ phasibus conferatur, minime iis convenire, facile intelligitur. Motu enim Lunæ generaliter considerato augetur, vel minuitur Lunæ a Tellure distantia pro ratione accessus Solis. Qua vero lege singulis diebus id ipsum quoque recognosci, & definiri possit? Hoc ad rem præsentem nihil attinet; atque ad illam pertinet abstrusissimam Astronomiæ partem, quæ motus lunares, eorumque inæqualitates considerat.

16. Postremo huc etiam spectat illud barometri

tri experimentum, quod paulo ante exposuimus. Etenim si ea vi, qua Tellus Lunam attrahit, Influxus isto modo deducti ad nos descenderent; atque pro varia ejus attractionis quantitate, quam varii, diversique Lunæ adspectus, ut dicitur, designant; multiplices inde orirentur effectus: id, inquam, si forte contingeret, aliquam in nostram hanc atmosphæram mutationem indubitanter induceret. Quandoquidem quum in certo quodam Lunæ adspectu ob majorem attrahendi vim influxus ponitur copiosior, tum atmosphæra solito magis condensetur, oportet. Contra sensibiliter rarefieri, necesse est, ubi in adverso Lunæ adspectu eadem ipsa vis languet, minimusque proinde evadit influxus. Has itaque atmosphæræ mutationes, ut dico, indicare utique deberet mobilissimum barometrum, quo varium atmosphæræ pondus pro ratione ejus raritatis, ac densitatis quovis temporis articulo ad unguem examinamus. Si ergo, ut supra diximus, facto periculo in singulis Lunæ phasibus, barometrum ne tantulum quidem in iis immutatur: Id profecto videtur luculenter ostendere, neque per vim Telluris attrahentem, si modo ea revera sit, Lunæ influxus ad nos perduci.

17. At enim inficiari nemo poterit, nisi qui plane cæcus fuerit, Lunæ radios, & lumen ubique terrarum diffundi, noctium tenebras collustrare, nostrosque item oculos sensibiliter commovere, ac percellere. Itaque & si nos fugiat, qua utatur Natura via pro influxibus transmittendis; quum tamen certum, exploratumque nobis sit, lucentes Lunæ radios ad nos usque transduci: quid multis

opus

opus est, ut credamus, eos ipsos certam aliquam qualitatem una secum ferre, haustam scilicet a lunari corpore, unde ii modo profecti sunt? Nec deinde mirum, si radii isti naturam veluti per intervalla mutare videantur, & modo nocentes, modo vero innoxii communiter habeantur: quum, & ipsa Luna identidem immutetur. Ut enim missas faciamus omnes illas mutationes, quas Luna singulis ferme diebus successive subit; nemo unus est, qui non advertat, eam ipsam *modo curvatam in cornua, modo æqua portione divisam, modo sinuatam in orbem, modo immersam pleno orbe, ac repente nullam nobis apparere*. (a) Ex his vero mutationibus, quas præter cæteras observemus, oportet, tres potissimum sunt, videlicet: prima, quum Luna Soli conjungitur; altera, quum illi ex diametro opponitur; (quas utrasque Sygiziarum nomine designant Astronomi:) tertia demum, quum gradibus nonaginta a sole distat: scilicet quum in *Novilunio*, *Plenilunio*, & in *Quadraturis* Luna versatur: quoniam in his præsertim Lunæ phasibus, quemadmodum nos longus docuit usus, male Luna nos accipit, pravoque suo influxu terrestria omnia veluti inficit.

18. Optimum sane videtur esse expositum argumentum pro diluendis iis omnibus rationibus, quas supra scripsimus, tum etiam pro stabilienda, si superis placet, influxuum opinione. Attamen, nisi me fallit animus, non est ita, non est profecto. Etenim res, de qua agitur in proposito argu-

(a) *Plin. lib. 2. cap. 9.*

argumento, non ita nota eſt, ut quivis per ſe eam facile intelligere poſſit. Agitur enimvero de luce, de cujus eſſentia, ut eſt occulta, atque ab ipſa natura involuta, non minima diſputatio eſt inter auctores. Ut omittam ſcholaſticorum jam obſoletam opinionem, qui lucem tanquam *accidens* quoddam *abſolutum* concipiunt: ſunt; qui cum Carteſio, Hugenio, aliiſque compluribus exiſtimant, lucis naturam in corporea quadam fluidiſſima ſubſtantia poſitam eſſe, quæ ubique ſemper ipſo quoque noctis tempore diffuſa reperitur; ſin autem a ſolis, alteriuſve corporis lucidi præſentia certa quadam preſſione, ſeu agitatione non impellatur, lucis ſenſum in nobis efficere neutiquam poterit. Quæ quidem opinio, ſi forte contingat, ut approbetur, ſua enim non caret probabilitate, & vero minime contemnenda, vis objectæ difficultatis in totum concidit: quandoquidem nihil tum quidquam a Luna ad nos tranſmitteretur.

19. Contra diſſentiunt alii multi cum Epicureis, & Newtonianis, qui lucem nihil aliud eſſe opinantur, niſi perenne quoddam particularum effluvium a lucidis corporibus jugiter emanans, quodque per aeris, aliorumque corporum pellucidorum poros libere tranſgrediens ad oculos inde noſtros fertur, eoſque ita percellit, ut lucis ſenſatio mox ſuboriatur. Secundum hanc ſententiam haud ſane diffiteor, lucem ex Luna revera ad nos deſcendere. At vero non propterea res pro influxibus judicata jam erit. Id enim primum omnium heic animadvertant Adverſarii, velim, prædictam opinionem nullam aliam in ſe habere certitudinem;

præ-

præterquam probabilem; quæque proinde ex ea deducuntur nonnisi incerta, ac dubia omnia esse, putandum est.

20. Tum esto Lucis natura perinde sit, ut Newtoniani volunt: ut propositæ difficultati directa responsione satisfaciam, hac utor distinctione: quod dictum est, lucentes Lunæ radios in Tellurem descendere, non gravate concedo. Quod vero secum ipsi trahant, vel trahere quoquo modo possint aliquod quodpiam lunare corpusculum audacter repugnabo. Quid enim rei luci est cum vaporibus, atque exhalationibus, adeo ut unum ex alio inferre liceat? Nihil quippe novimus, unde ista duo simul conveniant, nihil, quo ultro, citroque inferantur. Num quemadmodum solis lux per totum Cæli ambitum diffunditur, & non modo terram hanc omnem, sed Lunam etiam, atque alios tum *primarios*, tum *secundarios* planetas suo implet splendore, ita putandum nobis est de vaporibus, qui a Terra, vel Luna, vel alio quovis Cælesti corpore emittuntur? Id nullus quidem certe vel mediocriter doctus concedet.

21. Præterea lux per vitrum transit, aliaque pellucida corpora; corporis vero vapor, aut exhalatio non item. Lucis insuper motus pernicissimus est, & momento quasi temporis ex uno mundi extremo ad aliud fertur; vapor contra nonnisi lento, ac tardo quodam motu ipse movetur. Discrimina hæc tanta, ut de cæteris sileam, satis profecto essent ad ostendendum, aliter de luce, aliter de vaporibus, seu exhalationibus sentiendum nobis esse. Videamus nihilominus, quid hac super re

ipsa nos doceat experientia. Nonne ex corporibus, quæ sub aspectum cadunt, certa quædam nonnunquam videmus, quæ sunt plane noxia, damnifica, virulenta, quin etiam mortifera? Ita sane. An nostrum quispiam, quum casu illa offendit, veritus unquam est, ne ab illorum conspectu vel pauxillulum inficeretur? Minime vero. Age porro, fingamus animo, Lunam corpus esse natura maleficum, & circumquaque venenatum non secus, ac nostrum toxicum, aut aliquid ejusmodi; qui fit, ut lucis radii, qui a Luna ad nos resiliunt, malum contrahant; qui vero a toxico, vel alio quopiam terrestri veneno repelluntur, non item? Quippe una, atque eadem Solis Lux est, quæ directim terram illuminat, atque Lunam. Eadem ipsa quoque, quæ reflexim utroque ad nos repercutitur, nisi quod repercussionis puncta, quod ad distantiam attinet, quam maxime discrepant; quoniam id, ex quo lux a terra resilit, prope nos est; quod vero a Luna, longissimo a nobis distat intervallo. Unde ergo est, ut qui radii in terræ vicinia nihil admodum veneni ex corporibus trahant, nihil quo damnum nobis inferant secum ipsi asportent; iis deinde ipsis in ea, qua nos a Luna disjungimur distantia, & effluvia de lunari corpore educere, & trahere per spatia pene immensa, & secum ad nos usque perferre, concessum sit? Huccine mens nostra desipuit, ut crederemus, vim aliquam, quæ transferre quoddam corpus non potest ad distantiam paucorum pedum, facile id posse ad distantiam plus ducentorum millium milliariorum?

22. Ni-

22. Nihil deinde video, cur variantibus Lunæ adſpectibus, & ipſi quoque varientur influxus, adeo, ut qui modo benefici ſunt, & benigni, mox in maleficos, & perniciosos vertantur. Id ſane qui fiat, nullo prorſus modo intelligo: Nam vel corpus Lunare ita eſt natura comparatum, ut bonum, aut malum ipſum ſit; vel id ſibi adjungit ex certo quodam Cœli ſitu. Si primum: non aliam certe influxus obtinent, ac ſui principii naturam. Quocirca aut utilitatem, aut perniciem immutabiliter, ubi Terram contigerint, ſingulis indiſcriminatim diebus nobis adſerant, oportet. Si ſecundum: duobus item modis fingi poteſt, Cœlum eſse conformatum; aut plane vacuum, aut aliqua ſubtili repletum materia. De primo, nihil laborandum; omnibus enim patet, nullas eſse in Nihilo proprietates. De altero, nihil pariter eſt, quod cœleſtis illa materia ulli unquam corpori communicare poſſit; ut enim optime animadvertit Hieronymus Fracaſtorus, *Simplex corpus eſt Cœlum, & ejuſdem naturæ, & virtutis per totum orbem.* (*a*) Quid ergo nunc eſt, quod lunares influxus non modo in ſingulis Lunis, ſed ſeptima quaque Luna naturam veluti immutant, & modo ſalutares, modo plurimum nocentes exiſtimantur? Non hic videtur manifeſtior antiquorum error, quam ut pluribus convincendus ſit?

23. Quæret fortaſse inſtando quiſpiam. Nonne Sol in Terram influit? Ita, inquiunt omnes. Tam enim multa, tamque grandia ſunt, quæ heic apud

 nos

(a) *Hieron. Fracaſt. cap. 3. pag. 51.*

nos Sol operatur, ut proprie, vereque dicatur.

Sol rerum Sator, & numerosi temporis authbor. (*a*) Quid ergo est, cur solares radii tanta polleant influendi virtute, quanta percipi potest maxima; lunares vero omni vi destituti nihil prorsus præstare possint? Itaque, ut pro lunaribus influxibus argumenta omnia desint, certe non desunt ipsi lunares radii, qui æque, ac solares in Terram descendunt, sive quidpiam secum ferant, sive non. Siquidem utrique ab eodem, nempe sole, manant principio. Natura igitur conveniunt utrique. Ecqua ergo poterit in utrisque esse tanta distinctio, ut credendum omnibus sit, Solem suo lumine in Terram tantopere influere; Lunam contra ne tantulum quidem suo?

24. Quoniam res huc deducitur, ut nulla alia vi, quam ea, quæ est lucis propria, Luna ad agendum valeat: Lucis proprietates paulum excutiamus, oportet, ut videamus quid, & quatenus, & quomodo lux agat, unde unde ipsa proficiscatur. Lucis itaque proprietates præcipuas, quantum huc usque detectum nobis fuit, duas potissimum eas esse, novimus, videlicet *illuminare*, & *calefacere*. Si priorem spectemus, ea nonnisi in animalium oculis agit; horum scilicet retinam suo appulsu afficiendo ita, ut visus sensus in ipsis excitetur, quo objecta extra nos posita videantur. Si deinde posteriorem consideremus, in omnia quæcunque corpora sive solida, sive fluida ea sint, lux agere enimvero potest; non quidem indefinite, sed pro ra-

---

(a) *Tibull. lib. 4. ad Messal.*

ratione ſuæ quantitatis, & efficaciæ. Nanque in omni re, ut ut actuoſa ea ſit, videndum eſt quatenus: etſi enim ſuus cuique agendi modus eſt, tamen magis agit, quod nimium eſt, minus, quod parum, quod autem minimum, fere nihil.

25. Jam vero quod Lux, ſeu Solis ea ſit, ſeu Lunæ, vim illuminandi habeat; nulli profecto dubium eſse poteſt: niſi quod vividius interdiu per Solem, quam noctu per Lunam corpora illuminantur. Quod vero ad vim calefaciendi attinet, ſi de Solis luce loquamur, perſpicuum quoque eſt, eam non calefacere modo corpora, ſed incendere etiam, urere, liquefacere, atque in calcem, vel in vitrum redigere: quemadmodum *ſpecula uſtoria* ſolaribus radiis expoſita indubiam de his fidem cuique faciunt. Atque hæc una lucis proprietas in cauſsa eſt, ut quicquid herbarum, plantarum, aut etiam foſſilium in terra de novo gignitur, excreſcit, atque ad maturitatem quandam ſuam uſque perducitur; Soli, aut ejus luci, ſeu verius calori potiſſimum tribuatur. Id quod luculentiſſime videre licet in igne, qui ſi quid agit, præter lumen viſum afficiens, utique calefaciendo id agit. Niſi forte quis velit, candelæ flammulam non modo objecta procul poſita illuſtrare, ſed aliud quidpiam occultum, atque omnino imperceptum efficere: quo quid incredibilius?

26. Itaque hujuſce rei ſumma poſita in eo eſſe videtur, an ſcilicet Lunæ radii præter qualitatem, quæ ad lumen faciendum eſt apta, alteram illam calorificam in ſe contineant, quæ nimirum vim calefaciendi habeat. Pro hac autem re defi-

 nien-

nienda, ne quid minus recte constituam, id primum placet ob oculos ponere, quod de Lunaris lucis calore olim senserunt auctores, & quod hoc tempore sentiunt. Franciscus Vallesius fortasse omnium primus, quum verba illa Psalmi 120, *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem;* hoc ex animi sui sententia scripsit effatum: *Constat ergo haud dubie noctes Plenilunii calidiores, & sicciores esse, quam Interlunii, atque ut Sol per annum, ita Luna per mensem suam æstatem facere, & hiemem.* (*a*). Laurentius deinde Jubertus Vallesii inhærens vestigiis, Solis & Lunæ radios in unum conferendo, suam quoque dixit sententiam in hæc verba: *Erit itaque ex Lunæ splendore simul caliditas, & siccitas, nisi quid impediat, & ipsa, quum plena erit, nos integro vultu respiciens calfaciet, & exiccabit.* (*b*) His demum assensus quoque est Joannes Wepferus, qui pro sua parte etiam ipse decrevit, *Lunæ radios esse calidos in infimo gradu.* (*c*) Convenit itaque inter hos auctores, Lunæ radios non modo lucentes esse, sed suum etiam calorem habere. Recte, an secus id definierint? posterius istuc videbimus. Interea ad alios pergamus.

27. Contra Christianus Garmannus, ab istis longe dissentit, quin etiam, quoad potest, persuadere conatur, Solis radios ut ut ardentissimos, si tamen contingat, ut in Lunam incidant, derepente conglaciari, & nonnisi conglaciatos inde ad nos per-

---

(a) *Franc. Vallef. de Sacr. Phyl. pag.* 575.
(b) *Laurent. Jubert. de Paral. tom.*1. *pag.*332.
(c) *Jo. Jacob. Wepf. de Apopl. pag.* 260.

pervenire. *Ex hoc*, inquit, *fit*, *ut in Plenilunia majus frigus sentimus*, *etiam æstivo tempore*, *imo circa canicularium æstum*. (*a*) Garmanni dictum Stephanus Spleisius facto etiam confirmavit. Is vitreum vas aquæ plenum in Luna exposuit, quum ea plena erat; tum paucis post horis, quum aquam iterum perscrutaretur, congelatam deprehendit. (hibernone, an æstivo tempore istud fecerit periculum; hujusce rei auctor non meminit) Ex quo indubitanter conclusit: *Lunæ radios non debili calore infectos*, *sed potius insigni frigefaciendi facultate præditos esse*. (*b*) Non secus opinatus est Kenelmus Digbæus, (*c*) nisi quod de suo nonnihil novi addidit, lunares videlicet radios non frigidos modo esse, sed & apprime humidos: id quod ex certo quodam satis obvio experimento intellexit. Argenteum malluvium intus læve, ac probe mundum sub dio in Luna expositum locavit; tum longo post tempore ad malluvium revertens, totum humefactum animadvertit. Proh mirabile experimentum!

28. Age nunc, hæc sunt de lunaris lucis efficacia auctorum judicia, quibus mens veluti in transversum rapitur: quum alii admodum calidam, & siccam, alii contra humidam, & frigidissimam eam esse existimarunt. Eat jam quis, & ex alio-

 rum

(a) *Christ. Garmann. de mirac. mort. lib.* 3. *tit.* 1. *pag.* 862.

(b) *Apud Jo. Jacob. Wepf. de loc. affectis in Apopl. pag.* 260.

(c) *Kenelm. Digb. de pulver. Sympat. pag.* 91.

rum sententia lunarium radiorum mensuret potestatem; simulque pro certo habeat, eos non secus, ac solares utraque tum illuminandi, tum calefaciendi vi præditos esse. Nunquidnam in tanta opinionum varietate, hominumque dissensione nonnihil certi deducere quisquam poterit?

29. Quid quod id temporis jam sumus, ut quemadmodum ista se res habet, amplius dubitare non liceat. Etenim clarissimis experimentis satis constat; Lunæ radios omni quocunque tum caloris, tum frigoris gradu omnino destitui. Ne multa, hæc in primis habet Hermannus Boheravius: *Egregius Britannorum philosophus, factus a natura ad experimenta physica ingeniosissime capienda, Robertus Kokius plenæ Lunæ radios convexo utrinque vitro in focum adegit, eo effectu, ut lux ibidem charta excepta foret fulgentissima, quum interim directus hicce focus in Thermoscopium mobilissimum, ne minimum quidem signum caloris, ignisve præberet. Quod vitra Ischirnhausiana Parisiis confirmarunt postea: Act. Acad. Scient.* 1699. pag. 110. (*a*) Paucis post annis, anno scilicet 1708. ad normam istius experimentum repetens D. de la Hire, nihil profecto minus animadvertit, quam quod paulo ante dictum est.

30. Ego ipse, utpote qui sic sum, ut aliorum testimonio præsertim in rebus physicis minime fidam, iterum, ac sæpius hujusce rei periculum facere volui. Itaque adhibitis pro experimento accurate

(a) *Apud Herm. Boher. tom.* 1. *elem. chym. pag.* 67.

rate capiendo duobus Thermoſcopiis, altero Romuriano, Farenheiciano altero, utroque, ſupra quam ſatis eſt, mobiliſſimo: quum Lunæ plenæ radios per ſimile vitrum in focum adegiſſem, atque uni primum, tum alteri Thermoſcopio prædictum focum admoviſſem: nunquam profecto accidit, ut opinionem feſellerit rei eventus: quin maxima cum voluptate ſpectavi, aliiſque etiam ſpectandum præbui, nullum omnino neque caloris, neque frigoris gradum, vel minimam hujus partem in iis deſignatam unquam fuiſſe. Satis igitur ſuperque conſtat, Lunæ radios omni quum caloris, tum frigoris gradu prorſus eſſe deſtitutos. Quandoquidem, ſi ii, etſi denſati, atque in focum collecti nihil admodum in Thermoſcopium agunt; quod ſane inſtrumentum ad omnem vel caloris, vel frigoris gradum, quantuluſcunque is ſit, ſenſibiliſſimum eſt: quomodo iidem ipſi nequaquam denſati, ſed nimium rarefacti agere quidquam poterunt in alia quæcunque corpora, & quidem firmiſſima?

31. Roget quis, quid eſt, quamobrem ſolares radii, quum per Lunam ad nos reflectuntur, calore ita deficiant, ut nullo is poſſit detegi artificio? Scilicet id contingit, non quod lunare lumen, ſi hujus ſpectemus naturam, calore omnino careat, ſed quod ob reflexionem maxima interveniat luminis raritas. Quamvis enim Lunæ lumen non aliud ſit, atque Solis lumen ad Lunam miſſum, atque ab ea iterum ad nos repercuſſum; attamen in hujuſmodi repercuſſione eo uſque rareſcendo deficit, ut tandem ſenſu calefacere omnino deſinat. Quomodo vero, quum id Luminis a Luna ad nos re-

repercutitur; insignem hanc adipiscatur raritatem; haud quaquam hoc est explicatu difficile.

32. Porro in luminis reflexione illud in primis Catoptrica nos docet, quod quum lux in corpus seu solidum, seu fluidum incidit; intelligere licet, eam in tres veluti partes continuo dividi; quarum una regulariter illo regeritur, unde digressa est: altera, sine lege reflectitur, se quoquoversus dispergens ob superficierum, quas offendit, inæqualitates, quum earum nulla reperiatur, quæ sit perfecte lævis: tertia denique lucis portio in superficierum contactu plane extinguitur; vel quod contactæ corporis partes molliores sint, minusque propterea ad repellendum idoneæ; vel quod in ipsiusmet corporis poros penetrans, ibi penitus absorbeatur. Ecce autem, quomodo in quacunque data luminis reflexione, radii hujus reflexi pauciores, & propterea rariores fiunt, quam directi. Atque hæc quidem consideranda occurrunt, quum corpus reflectens regulare est, & quoad potest, politum. Quid si illud asperum sit, atque extra regulam positum? Quid si non modo asperum, sed etiam insuper convexum? Scilicet in utroque radii reflexi magis, ac magis decrescunt, multoque magis proinde rarefiunt. Super omnia vero maximam ad rarum faciendum vim habet corporis reflectentis convexitas; quæ quam valde ipsa per se radios incidentes *parallelos* in *divergentes* mutat, & vertit; satis clare id intelligunt, ac demonstrant *Catoptrici* omnes.

33. Quum igitur Luna globosa sit, ejusque superficies convexa non lævigata, & polita, sed aspe-

ra,

ra, & inæqualis, ut obſervationes per tubos opticos inſtitutæ certos de hac re nos ſaciunt: & præterea in tam magna circumferatur a Terra diſtantia, quæ quidem ad diſperdendos quoſcunque radios tum reflexos, tum directos plurimum valet: nil profecto mirum videri debet, ſi tot tantiſque rarefacientibus cauſſis in unum concurrentibus, Lunæ lumen perquam rarum eſſe deprehendatur, adeo, ut nullum vel minimum caloris ſignum, quocunque etiam adhibito artificio oſtendere unquam potuerit.

34. Rem hanc omnem clariſſime tenuit Cl. Bougherius, (*a*) qui nonnulla etiam adhibuit tentamina ad explorandum, quamnam haberet rationem lunaris luminis denſitas cum ſolari comparata: ex quibus intellexit, illius denſitatem, dum Luna pleno fulget orbe, eſſe ad denſitatem luminis ſolaris, prout id in Terræ ſuperficiæ ſentimus, ut 1. ad 300000. Jam, hoc poſito, vitrum illud uſtorium maximum, quo Pariſiis, ut ſupra dixi, uſus eſt de la Hire, non pluſquam trecenties ſexies Solis radios in *foco* denſiores efficit: Tantundem ergo Lunare lumen, per hujuſmodi vitrum in anguſtum coactum, effectum denſius eſt. Veruntamen multo adhuc rarius eſſe deprehenditur, quam ipſum ſolare lumen in terræ ſuperficie. Etenim 306. fere millies continetur in 300000: Lunare ergo lumen eo modo per vitrum denſatum adhuc millies fere rarius eſt, quam ipſum ſolare lu-

---

(a) *Eſſay ſur la gradation de la lumiere ſec. 1. §. 7.*

lumen in terræ superficie. Tanta autem isthæc est luminis raritas, ut si forte in ipsos radios solares aliquando induceretur, & ipsi quoque, perinde, ac lunares, omni sensibili calore forent proculdubio destituti. Hactenus potissimam lucis lunaris oppositionem pluribus, & particulatim sum prosecutus, quod ea majoris momenti esse, totumque fere, quod in controversia est positum gremio suo complecti videretur: Cui, nisi mea me fallit opinio, optime, & plus etiam quam oportebat, satisfactum est. Illud restat, ut quæ pro Lunaribus influxibus experimenta adferuntur, æquo animo, ut par est, discutiamus.

VULGATA INFLUXUUM LUNARIUM EXPERIMENTA.

35. Me jam provocant illi non pauci, qui rationum momenta, quæ hactenus exposuimus, nihili facientes, rem hanc omnem potius, quam ad rationis, ad experientiæ tribunal deferri volunt. Verum nullus unquam finis, aut modus huic rei foret, si non modo singula, sed celebriora solum experimenta, quæ ad Lunam pertinent, complecti vellem, quibus viri ceteroqui sapientissimi opinionem de influxibus evidentissime comprobatam esse, putant. Modice igitur hoc faciam: omniaque ad tria veluti summa capita paucis reducam. In quorum primo id potissimum expendam, quod circa hominum morbos, eorumque curationes divulgatum est. In altero, quod in piscibus, præsertim echinis, aliisque testa munitis observatione,

ut

ut ajunt, perpetua deprehensum est. Demum in tertio illud discutiam, quod circa arborum plantationem, insitionem, cæsionem rustici observant.

36. Ut a primo exordiamur, neminem fugit, medicorum plurimos fuisse, & hoc etiam tempore nonnullos etiam esse, qui venæ sectionem, alvi purgationem, atque aliam quamlibet per cutis poros, aliasque glandulas excretionem, qua die Luna vel Corniculata, vel dimidia est, nefas esse, arbitrantur, idque certo in hac re delinquentium malo comprobatum esse, ostendere conantur. Alii vero fortasse paulo indulgentiores isto animo sunt, ut sanguinis missionem quacunque crescentis Lunæ die indiscriminatim præscribant, nunquam decrescentis. Contra Etmullerus hæc habet: *Luna crescente potius, quam decrescente, contra vulgarem opinionem, ut optime ostendit Abdias Trevv. in pract. universali, in qua quasvis purgatorias evacuationes, Luna decrescente; sanguinis vero, Luna crescente, esse instituendas deducit.* (a) Quosdam præterea novimus, qui quidquid Luna in singulos menses suo influxu operetur, nihil admodum sunt solliciti; at Lunam Martiam plusquam pestem odio habent. Proh miseros ægros, qui in istorum medicantium manus eo tempore fataliter incidunt! Scilicet nulla eis conceditur sanguinis missio, nulla ad ventrem solvendum salutaris purgatio, nullum denique ad sanitatem restituendam opportunum, & cæteroquin satis obvium medicamentum. Sed quidquid mali ferunt, patienter ferendum ipsis est; do-

(a) *Etmull. tom.* 1. *ar.* 1. *de Pleth.*

donec Luna lustrato suo cursu Solem iterum consequatur.

37. Illud primum ex his medicinæ professoribus, si fas esset, libenter percontarer, an suis ipsi dictis fidem habeant? Difficulter enim, atque admodum ægre ad credendum inducor, tantos viros cæteroquin doctissimos animum induxisse suum, ut ista sibi persuadeant. Verum sentiat quisque, ut libet, de intimo istorum animi sensu. Ergo, si est ita, ut dicitur, priusquam medici ægros adeant, ephemerides ipsis consultandæ erunt: ut nempe ex illis quotidie discant, quotus Lunæ dies ille sit, in quo versantur, quotoque die, temporisque momento futurum sit Novilunium, Plenilunium, vel alia quævis Lunæ phasis. Numne est hoc in more positum, institutoque medicorum? Scilicet, si perpaucos excipiamus, cæteri omnes ne quærere quidem de ephemeridum nomine vel minimum laborant. Sed mittamus hoc: & quoniam provocato ad experientiam judicio, isthæc lunaris medendi ratio unam habet experientiam, ut ajunt, matrem, & magistram, videamus quid hac super re vel vulgus ipsum observat. Notum quippe cuique est, multo plures eos esse, qui antiquorum præjudiciis exuti, quum hominibus medentur, ad prædictam lunarem legem, quasique superstitionem nequaquam animum attendunt. Sed quemadmodum quotidie, imo quavis diei hora in morbos delabuntur homines, ita prout fert morbi qualitas, nullo facto dierum discrimine, & sanguinis missionem celebrari jubent, & remedia ad alvum dejiciendam continuo præscribunt. Neque vero proin-

de

de in ægrorum restituenda valetudine minus secunda utuntur isti fortuna., quam ii, qui in medicina facienda ad Lunam, atque ad ejus phases animum adjiciunt.

38. Quid quod homines Angina, Pleuritide, Apoplexia, febribus inflammantibus, atque aliis gravioribus, acutisque morbis in diem afficiuntur? Hi sane morbi, quum ingruunt, tales sunt, qui vel brevi tolluntur, vel ipsi tollunt. Quid, quæso, faciendum in istis erit, si forte crescente, hoc est adversa Luna contigerint? Cunctandum ne erit, donec Luna decrescat, ne mala sua influentia sanguini tum mittendo noceat?

39. Ad rem respondet heic Etmullerus: *Quoad necessitatis vero tempus, omni lege hoc ipsum caret: adeoque tunc venit sanguis mittendus, quando necessitas, & symptomata urgentia postulant.* (a) In his ergo casibus gravibus, periculosis, & repentinis vel ipsi lunares medici, nullo habito ad Lunam respectu, eodem die, eademque hora, qua morbus ingruit, venam illico aperiri, imponunt. Jam illud rogo: Interea dum sanguis aperta vena effluit, quid tum erit de Luna? otiabitur ne illa, an dormiet? An potius ægroti miserans malum se ab influendo cohibebit? Imo vero tum maxime exitium ægroto adferre deberet, quum humores omnes nimium sunt perturbati; separationes per glandulas quamplurimum impeditæ; secretiones item cuticulares omnino suppressæ. Malum enim vel minimum, quod graviter ægrotanti, & morti ferme pro-

(a) *Ibidem loc. cit.*

proximo infertur, maximum proculdubio putandum est. Vel igitur dicendum, ea tum a medicis præscribi medicamenta, ut ægrotus ante dies occumbat suos: id quod ne suspicari quidem licet: Vel verius nihil nobis, nostrisque corporibus cum Luna rei unquam esse.

40. Quod vero ad Lunam Martiam attinet nihil profecto video, quamobrem odio tam immani quibusdam sit, ut quidquid mali per eos dies acciderit, id omne illi, tanquam hosti nostrorum corporum infensissimæ haud dubie adscribant. Quæ, malum, est ista tanta cum Luna Martia inimicitia, atque malevolentia? Annon una, atque eadem Luna est, quæ oritur, quæque occidit mense Martio, atque illa, quæ per totum annum usque revolvitur? Annon quovis indiscriminatim mense movetur Luna in Plano ad Eclipticæ Planum inclinato? Annon Martio æque, ut cæteris quibusvis mensibus easdem omnino subit Luna mutationes tum crescendo, tum defectionibus ad initia recurrendo? Quid ergo est, cur Luna Martia, quamvis non Cœlum, non iter, non phases mutet, tamen ipsa ex bona in pessimam mutetur? Num tunc temporis Luna ægrotat, irascitur, insanit? Ecquisnam hoc dixerit?

41. Non negaverim tamen, Martio, & circa eum mensem hominum ægritudines frequentiores esse, & plerunque periculosiores, nec non valetudinarios, & præcipue senes in summum vitæ periculum, ac discrimen haud raro adduci. Id autem potius ad Cœli intemperiem, quam ad Lunam referendum esse, ratio ipsa nos admonet. Etenim

con-

constat, eo potissimum tempore, ob magnam fortasse diurni caloris, & frigoris nocturni inæqualitatem, tempestates crebriores fieri; quibus procellæ, turbines, grandines, tonitrua, & quivis alius Cœli inquietior status adversus nos concitantur: Quæ quum contigerint, quantum detrimenti inde capiat hominum sanitas, nemo est, qui id ignorat. Prædictos itaque medicos etiam, atque etiam rogo, ut in restituendam ægrorum sanitatem sedulo incumbant, eorumque curationes quandocunque, vel Martio tempore citra metum suscipiant; utque omnem de Luna submoveant scrupulum, quoniam

Exclamare libet: non est hæc improba non est. (a)

42. Expendamus nunc morbum illum, qui Lunæ influentiam ex vulgi opinione mirifice comprobare videtur. Is inter notissimos est, & morbus *Major*, *Sacer*, *Caducus*, *Comitialis*, atque aliis pluribus nominibus olim appellatus est. Nunc communiter *Epilepsia* nomen habet, qua totius corporis constitutio convellitur, atque vexatur. Hujus sane morbi, quo non raro corripiuntur homines, præsertim pueri, non mulierculæ modo, sed viri etiam docti Lunam criminantur; adeo, ut *Lunæ malum* vulgo etiam dici soleat: quod fama est, in Noviluniis, & Pleniluniis potissimum invadere, vel secundum Lunæ conversiones. Neque vero desunt magni nominis auctores, qui id expresse docuerint; inter quos non infimum tenet locum doctissimus Etmullerus, quem supra semel, atque ite-

 rum

(a) *Martial. lib. 10. epigr. 28.*

rum honoris caussa nominavimus; qui veterum opinionibus plus æquo fortasse addictus, in eo etiam hallucinatus est, ut id quoque crediderit, quod *inprimis Lunæ motibus auscultat Epilepsia quævis, magis tamen ea, quæ est per essentiam, & nonnunquam ad Lunæ varias periodos diversissime afficit.* (*a*)

43. Verum id primum in transcriptis Etmulleri verbis procul a veritate abesse, certum habemus, quod *Epilepsia quævis auscultet Lunæ motibus*. Sæpe enim numero contingit, ut Epilepsia inducatur ob aspectum phantasmatis, spectri, aut alterius cujusvis objecti deformissimi; tum etiam ob aliquam stomachi ad vomitum ex gravi odore perturbationem, & concitationem. Atque, his quoque detractis, Epilepsiam adhuc excitare solent quidam animi affectus subiti, vehementes, & concitati. Id quod omnes ad unum testantur medici; ac ne ipse quidem contradicit Etmullerus: *Eadem illustrant diversi animi affectus graviores v. g. Ira, terrores nimii, & similes, qui spiritus animales nimis exagitando Epilepsias subitaneas non raro inducunt* (*b*). Heic certe quidem nihil est, quod Lunam incusemus: quandoquidem illa tanti non est, ut præsagire quoquo modo possit, quæ repentino aliquo casu hominibus accidant. Non ergo quævis Epilepsia cum Lunæ motibus congruit.

44. Totum itaque Lunæ negotium in efficiendis, moderandisque Epilepsiis, ad eas dumtaxat redigitur, quæ *essentiales*, *periodicæ*, & *idiopathi-*

cæ

(b) *Etmull. de Apopl. prax. lib. 2. art. 1.*

(a) *Idem ibidem paulo ante.*

cæ nuncupantur. In quibus Luna teterrimo suo influxu, ut ajunt, veluti domina dominatur. Sed quod ne istæ quidem ullo unquam pacto Lunæ subjiciantur; vel ex hoc intelligi facile potest, quod in indaganda morborum periodicorum caussa medici fere omnes hærent, & suspensi esse videntur. Et sane non Epilepsiæ modo statis temporibus ad id, unde discesserunt, quasi facta periodo, revertuntur; sed febres etiam tertianæ, quartanæ, quintanæ, podagræ, vertigines, apoplexiæ, atque alii permulti sunt morbi, qui certis quoque quibusdam temporibus abeunt, & quodam quasi circuitu facto, rursus redeunt. Non raro etiam fit, ut id genus morbi anteactam periodum minime servent, sed extra ordinem vel ante, vel post tempus jam constitutum ex improviso recidant, ut propterea *Anomali* appellentur. Jam vero, quum inquiritur, unde regressio ista morborum, seu periodica ea sit, seu anomala, originem ducat: non una quidem, sed multæ sine discrimine culpantur caussæ; succorum scilicet, vel glandularum vitia; viscerum, seu spirituum animalium morbositas; atque etiam cerebri pressiones per arteriolas sanguinem non satis comminutum ferentes; atque aliæ similes istis, in quibus cæco quodam modo per ambages, & trivia eundo tanti mali internam caussam reperire, medici conantur.

45. At quod ad externam attinet Epilepsiarum caussam: si ulla res est, quæ talium quorundam morborum externa caussa dici revera possit; ubivis tutius, quam in Luna sine ulla controversia reperietur.

Hippocrates profecto nihil tale quicquam de Luna cogitavit; quin de caussis morborum externis universim verba faciens, in temporum varietates eas omnes rejicit: *Mutationes temporum maxime pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes caloris, & frigoris, & reliqua juxta rationem hoc modo* (*a*). Cur autem sic opinetur, rationem ipse subjicit: *Quum una cum corporibus, & ventriculi moventur in hominibus* (*b*). Notum quippe clarissimo viro erat, motus quoscunque externos ab internis insensibilibus jugiter comitari, qui quasi conspirando, iis quodammodo obsecundant.

46. Atque ut aliud ex alio, certum hinc mihi est, non aliam, atque istam rationem esse, cur maris fluctuatio nauseam, & vomitum navigantibus plerunque creet. Siquidem, mare ventis exagitato, navigium, & quæcunque in eo vehuntur similiter exagitantur, & fluctuant: ex quo fit, ut commotis hunc in modum corporibus, & eorum ventriculi eadem ipsa commotione commoveantur, & perturbentur; & propterea naturaliter in iis convulsio consequitur, atque ad vomitum incitatio. Haud vero secus, quum mare hoc nostrum aereum, in quo perpetuo vivimus, ventis modo calidis, modo frigidis pro vario solis positu indesinenter agitetur; corpora item nostra aereis veluti fluctibus agitata, & ipsa agitentur, oportet. Omnia proinde viscera, glandulæ, musculi, fibræ, atque id omne, quod in humani corporis structura Anato- mici

(a) *Hippocr. de aere, & locis sec. 2. n. 310.*
(b) *Idem sec. 3. Aphor.*

mici *Solidum* vocant, quodam quasi æstu commoventur, atque ita perturbantur, ut sublato in iis proprio cujusque elaterio, atque apta omni inter se commissura ex parte resoluta, tollatur etiam consentanea liquidorum pressio, & quæ ab ista dependet partium, e quibus constamus, discors concordia, & perfecta veluti harmonia, in qua status nostri corporis actiones omnes suas probe obeuntis consistit.

47. Quod generatim de caussis morborum externis vir summus opinatus est, id speciatim sensit de Epilepsia, cujus externam caussam omnem ventorum vi potissimum adscribit. *Cæterum in mutationibus ventorum propterea morbo sacro corripi censeo, maxime quidem austrinis, postea vero aquilonaribus, deinde etiam reliquis ventis; hi autem sunt, qui fortissimi ex ipsis existunt, & inter se tum statione, tum viribus contrariissimi.* (a) Nunquidnam heic, quod Lunam, ejusque pravum influxum redoleat, habetur? De industria Hippocratis auctoritatem medici omnium excellentissimi, cujus libri ubique celebrantur, heic adducere fuit animus; primum, ut neminem lateat, opinionem hanc nostram summæ tanti viri auctoritati innixam esse: deinde, ut omnes intelligant, nos ista, quæcunque sint, non oppugnandæ antiquitatis caussa scripsisse; quid enim Hippocrate antiquius? sed potius studio, & amore veritatis, quo dumtaxat, absit verbo invidia, ad opinandum movemur.

48. Quæ deinde proferunt Adversarii experimen-

(a) *Hippocr. de morbo Sacro n. 266.*

menta, quibus probare nituntur, Epilepsias periodicas ad Lunæ normam, & motum adamussim respondere: id quam vanum, & futile sit, vel ex eo sit manifestum, quod aut totidem, aut plura sunt opposita experimenta. Et sane ex pluribus observationibus hac super re a cl. viro Francisco Torti institutis, id solum innotuit; *quod ad stabiliendum levamen certum in morbis istis herculeis, paroxismos inæquales, & modo semel in anno, modo bis in mense, vel etiam in die recurrentes, habentibus, requiri perseverantiam plurium annorum.* (a) Theophrastus Bonetus vir præclarissimus, atque in arte medendi haud ulli secundus luculentius rem hanc ita definivit: *Nunc subjungemus Epilepsiam periodicam non ad menstrua Lunæ intervalla, sed singulis diebus aliquoties recurrentem, imo similem Epilepsiam periodicam narrat Theod. Kerckingius observ. 11. pag. 142.* (b)

49. Demum, ut cæteros præteream, doctissimus noster Cirillus idipsum non modo comprobat, sed isti controversiæ finem quodammodo imponere videtur: *Menstruæ*, inquit, *Periodi, an a Lunæ influxu dependeant, vel ii sciunt, qui, etsi Astronomiæ ignari illud notant, Periodicos morbos omnibus indiscriminatim mensis diebus, quacunque Lunæ phasi, sive illa crescat, sive decrescat, sive nova, sive vetus sit ægrotantes affligere.* Sed prætermittamus hæc tanta præclarissimorum virorum testimonia, quæ

(a) *Franc. Torti Med. Mutinen. pag. 687.*
(b) *Theophr. Bonet. Medic. Septentrion. pag.* 109.

quæ illi ipsi experientiæ, quam sibi Adversarii tribuunt, omnino refragantur. Illud certe prætermittendum non est, quod in hac amplissima, & populosissima civitate nullus fere dies est, quin aliquis Epilepsia corripiatur, vel alias correptum ea iterum vexet. Cui rei testimonio esse quidem possunt omnes quotquot sunt, qui heic medicinam exercent. Jam, his positis, nonne pudet testem producere experientiam, ut probetur, *In Noviluniis, & Pleniluniis Epilepsias invadere, vel secundum Lunæ conversiones?*

50. Quod si forte aliquando acciderit, ut nonnulli tali morbo affecti iterum, ac sæpius in Noviluniis, vel in alia quavis Lunæ phasi corripiantur, adeo, ut morbi periodus illum ipsum lunarem cursum revera sequi videatur: Id tanti non est, ut negotium vel minimum nobis facessat. Etenim morbos, qui certam quandam periodum habere visi sunt, pene innumeros artis medicæ periti recensent. Quemadmodum ergo alienum ab omni ratione prorsus esset, si Martem, vel Saturnum, vel quodvis aliud Cæleste corpus quis præficeret, quod Tertianæ, Quartanæ, aliisque periodicis morbis suo influxu præesset: & risum profecto moveret, qui ad quotidianam alvi evacuationem periodicam explicandam, diurnam Solis, Lunæ, Veneris revolutionem adsciceret: Ita ridiculum plane videtur esse, quod quidam pro Epilepsiarum periodico cursu indicando, ad Lunam tanquam *humorum dominam, & Cerebri Præsidem confugiant.*

51. Forte non deerunt, qui heic opponant Lunaticum illum in Evangelio relatum Matt. 4. c. 24.

 Mi-

Mirum quantum quidam ex Adversariis in hoc facto exultant, ac pene triumphant! Quandoquidem ob id lunarium influxuum opinionem non experientiæ modo consentaneam, sed divino etiam oraculo confirmatam existimant. Auctoritas hæc tanta veluti insuperabile quoddam propugnaculum mihi quondam hac de re disputanti non semel opposita, & objecta fuit. Satisne, atque ad rem responderim? Nescio. Id unum certo scio, me fortiter quidem certe respondisse. Non quo divinum verbum pro libito interpretari temere præsumserim; verum quia, quum ex D. Hieronymi, aliorumque sacrorum interpretum sententia, virum illum Evangelicum potius dæmoniacum, quam lunaticum fuisse noverim: nihil profecto extimescens, quo me citius ab eo textu expedirem istuc idem fidenter reposui. Nunquidnam heic, quod displiceat, animadvertitur? Attamen nescio qua adversa fortuna, nihil placuit minus.

52. Ne vero vel tum imposuisse, vel nunc egregie imponere videar: en eruditissimi Calmet verba: *Evangelii lunaticum plane Energumenum putat Hieronymus Matt. 4. c. 24. quum populus falso lunaticum credidit, quod in lunationibus majori furore actum videret; Dæmon enim iis præsertim temporibus miserum angebat, ut, quum morbum simplices in Lunam referrent, & inde Creatorem blasphemandi occasionem assumerent* (a). Isthæc etiam interpretandi ratio Martino del Rio potissimum probatur, quippe de illo loquens: *Non quod*, inquit,

(a) *Calmet diction. Biblic. v. Luna.*

quit, *Dæmoniacus non esset, sed quod, & a Dæmone obsideretur, & simul Plenilunii temporibus per Dæmonem comitiali morbo gravissime affligeretur* (*a*). Hanc ipsam rem, experientia eorum, quæ fieri persæpe videmus, confirmat sapientissimus Maldonatus. *Experientia enim docet, quanto studio persuadere Dæmones conentur, nonnullas creaturas plusquam illis natura concessit, habere virtutis* (*b*). Ne vero longior adhuc sim, cætera aliorum omitto testimonia; quandoquidem his solis, quæ nuper dixi, auctoritati propositæ erit abunde, quantum reor, satisfactum.

53. A Medicis ad Chirurgos transeamus, quorum facultas, si veteribus fides habenda est, a lunari observatione ne separari quidem debet. Vetitum quoque iis est, Luna plena, caput terebrare cerebrum male habentibus, ut humor plus æquo redundans effluat; quod tum cerebrum diffundatur magis, & tota cranii capacitas lunari humore impleatur. Idem veteres observandum, putant, si forte sectio aliqua, vel ustio, vel alia quævis chirurgica operatio in ossibus facienda sit; quod ossium medullis Luna potissimum præsit. Morbis item pituitosis obnoxii ob hanc ipsam caussam (auctore Galeno, aliisque) hujus sideris vim in primis sentiunt, & una cum eo pituitam augeri experiuntur: quocirca hydrope laborantibus, vel quavis alia tumiditate correptis chirurgi ma-

(a) *Del Rio disquis. Mag. lib. 3. pag. 409.*
(b) *Apud Schottum lib. 4. Mir. Energ. c. 10. pag. 547.*

num adhibere, id putatur grande nefas.

54. Hæc, aliaque id genus permulta memoriæ prodidere veteres auctores, in quibus refutandis nolo inanem laborem sumere: satis enim multa, vel plura potius, quam necesse erat, supra diximus, ex quibus jam liquet, opinionem istam arenoso, ut ajunt, fundamento esse superstratam. Id unum præterea addo, quod, ut Lunares influxus in ossium medullas intrent; pervadant, oportet, certam quandam durissimam substantiam, qualis nempe ossea est, ad quam penetrandam certe non valet quicunque humor. Et vero si Mercurium excipiamus, qui exiguos quoscunque humani corporis poros pervadit; ac in intimos ossium recessus usque penetrat, nihil fortasse est, quod vim hanc maximam penetrandi obtineat. Ejus ergo indolis, ac naturæ influxus constituamus, necesse est, ut Mercurii vim, ac pondus exæquent. Quod quis dixerit? Hactenus de iis, quæ ad hominum curationes, & morbos pertinent disseruisse affatim est. Illud superesset, ut de tondendis capillis, ut sub initium innuimus, aliqua diceremus, qui ni, crescente Luna, secentur, periculum est, ut vulgus credit, ne tondentes calvefiant. Verum istuc tam futile, tam ridiculum refellere non piget solum, sed pudet etiam.

55. Expendendum nunc est alterum caput, an scilicet Echini; Astaci, Cancri, Ostrea, testacea omnia, & crustata animalia revera, crescente Luna, augescant, succulentioraque sint, contra, decrescente, minuantur. Ælianus id affirmavit: *Testa, Crustave intectorum hoc etiam proprium est, ut*

ad

ad decrescentem Lunam ex inanitate , & exilitate corporis laborent (*a*) . Idipsum longe expressius docuit Plinius : *Jam quidem lunari potestate Ostrearum , Conchyliorumque , & Concharum omnium corpora augeri , & rursus minui* (*b*) . Idem passim habent veteres pene omnes . Persuasum nanque iis erat , Lunæ proprium esse , corpora quæcunque vitali quodam rore rigare , & modico item calore humectare . Enimvero omnium animantium vita a calidi , & humidi commixtione oritur , atque utriusque temperamento mirum in modum producitur , ac fovetur . Ut autem hæc omnia melius consisterent , duo magna sidera , Solem scilicet , & Lunam illi præfecerunt , quæ tanto operi faciundo præessent . Hinc quemadmodum Sol suo calore maximam habet vim in cunctis corporibus calefactandis ; ita Lunæ corpus , tum præsertim , quum abunde a Sole illustratur , humores omnes alere , ac humido suo influxu regere , pro certo sumebant . Ad id autem magis illustrandum rem perquam ridiculam ponit laudatus Plinius : *Sol* , inquit , *masculum sidus , marisque vicem gerit , Luna fœminæ , fœmineum enim est sidus , & molle , atque nocturnum solvit humorem , & trahit , non aufert* (c).

56. Quod si opinionis hujus originem longius repetamus , poeticum quoddam Anniani commentum , ni fallor , huic opinandi modo fecit principium . Is , inquam , quum quosdam amicos ad coe-

(a) *Ælian. lib. 9. cap. 6.*
(b) *Lib. 2. cap. 41.*
(c) *Lib. 2. cap. 101.*

cœnam olim invitasset, eisque ostrea admodum gracilia, & exsucta apposuisset; requisitus, unde id esset: respondit: *Luna nunc videlicet senescit; ea re ostrea quoque, sicut quædam alia tenuis, exsuctaque est* (*a*). Quumque rursus urgerent amici, *Cur senescente Luna tabescerent?* Ne diutius penderet, se hunc in modum dissolvit: Nonne Lucilium, inquit, meministis dicere?

Luna alit ostrea, & implet Echinos, muribus fibras
Et pecui addit.

Eadem autem ipsa, quæ crescente Luna gliscunt, deficiente quoque Luna desiunt. (*b*). Insignem hanc imposturam amplexati deinceps sunt alii Poetæ; propterea legitur,

Ad Lunæ motum variant animalia corpus (*c*).

Et contracto sermone ad crustata dumtaxat animalia.

Lubrica nascentes implent conchylia Lunæ (*d*).

Itaque, quum ita se res habeat, nonne inter Poetarum fabulas, & commenta jure, meritoque & ista opinio reponenda erit?

57. Mitto heic quærere, undenam Lunæ influxus tam incomprehensibilem nacti sint naturam, ut victis omnibus quibuscunque obstaculis, quæ plurima, ut diximus, eorum in terram descensui adversantur, tantam maris aquam adhuc synceri, & incontaminati trajiciant; istorumque [illegible] ani-

(a) *Apud Aul. Gell. Lib.* 20. *c.* 7.
(b) *Idem ibid.*
(c) *Manil. lib.* 2. *Astron. v.* 94.
(d) *Horat. lib.* 2. *satir.* 4.

animalium teſtam, ſeu cruſtam vel duriſſimam penetrent, impleantque. Iſtud, inquam, relinquo; atque ad experientiam, ad quam fortaſſe provocor, libenter venio. Cl. Rohaultius de hac experientia ita ſcribit: *Falſo quoque, & omnino adverſante experientia creditum eſt, Aſtacos, Oſtreas, alioſque piſces, ſe pro varia Lunæ facie implere, aut extenuare, qui error illac, qua reliqui fere omnes irrepſit.* (*a*) Id egomet in Echinis plus ſemel expertus, verum adhuc eſſe comperi. Sæpius enim, Luna ſicca, Echinos prægrandes, ovorum, quæ loco carnis ſunt, & ſucci plenos deprehendi. Contra in Lunæ auctu exſiccatos, & pene omnino vacuos interdum ſpectavi. Quæ res ne commentitia videatur, & verbis potius fingi, aut mente concipi, quam ita revera eſſe exiſtimetur; quiſque per ſe, ut certo rem iſtam perſpiciat, id genus experimenti repetere ſæpius poterit: ſæpius, inquam; nec enim ſatis habendum, id ſemel obſervare. Quod itaque ad experientiam attinet, ſolum conſtat, id genus animalia modo eſſe intus plena, modo plane vacua. Verum quid ita? Sane, ut veram hujus tanti diſcriminis cauſſam inveſtigemus, non eſt tam longe nobis abſcedendum, ut ad Lunam confugere, ſit opus. Illa enimvero heic apud nos eſt. Siquidem Teſtacea, & Cruſtata omnia animalia, ut cætera quæque, macreſcunt, & exſiccantur pro ratione inopiæ, & probitatis paſcuorum, nec non locorum conſtitutionis: Scilicet, vel quod alimentum, quod expetunt eis deficiat,

(a) *Robault. Phyſ. Part. par.2. cap.27. pag.94.*

ciat, vel quod aquæ in quibus degunt, ſaginandis piſcibus minus ſint accommodatæ, vel demum quod maris undis, & tempeſtatibus nimium commoveantur, & verberentur.

58. Supereſt ultimum partitionis caput: an ſcilicet quidquam in arbores, & vegetabilia omnia Luna conferat? Equidem hac ſuper re veteres fere omnes præſertim Marcus Cato, Terentius Varro, Moderatus Columella, aliique, qui de re ruſtica appoſite ſcripſerunt, in quolibet ferme rei ruſticæ opere Lunam obſervandam paſſim inculcant: Idque noſtri etiam ævi ruſtici religioſiſſime tenent, ſervantque. Ex iſtorum judicio ſuam unaquæque ſementis, ac meſſis Lunam habet; ſuam quoque arborum inſitio, & potatio; & præterea ſuam potiſſimum cædua ſilva. Ut brevitati conſulam, ſementem, ac meſſem relinquo; item potationem, & inſitionem prætereo; atque id unum heic refellendum ſuſcipio, quod cæduæ ſilvæ proprium eſt, quippe quia res eſt ſermone omnium celebratiſſima.

59. Menſe Novembri materies ad fabricam cædenda eſt, Luna decreſcente, inquit Palladius Rutilius (*a*), qui mos a majoribus traditus etiam nunc in uſu maxime eſt; niſi quod id tempus ad ſequentem Decembris Lunam, item decreſcentem nonnulli producunt. Quare autem id veteres præceperint, & nunc ſolicite, ac diligenter noſtri ruſtici obſervent? Nempe, ajunt, ejus rei cauſſa iſtuc faciendum eſt, uti ne arbores cæſæ brevi pu-

(a) *Pallad. Rutil. lib. II. tit. XV.*

putrescant, & cariosæ fiant. Id quod proculdubio contingeret, si forte, Luna crescente, cæderentur. Quæ res a longa, ac inveterata omnium temporum experientia confirmata esse, dicitur.

60. Duo igitur in arboribus cædendis observatu digna heic memorantur. Unum, ut cæsio ista non fiat, nisi mense Novembri, vel Decembri. Alterum, ut eo tempore, quo cædi arbores debent, Luna sit decrescens. Primum videtur esse non modo perutile, sed maxime necessarium ad cariem cavendam. Siquidem succus, qui in arborum venis continetur, is potissimum est, qui putrescendo cariem inducat. Quocirca optimum tempus arborum cædendarum æstimatur illud, quo arbores frigore nudatæ rigentes sunt, minusque succosæ. Id quod prædictis mensibus, hoc est hiemali tempore contingere, compertum est. Alterum vero de Lunæ observatione supervacaneum, futile, atque omnino ineptum esse judicamus. Quum enim Luna item iis mensibus decrescat, atque in cæteris: si quidpiam virtutis Lunæ Novembri decrescenti inesset pro arboribus a carie defendendis; singulæ indiscriminatim Lunæ, ubi decrescerent, idipsum efficere possent. Cur ergo cæteræ omnes extra hiemem Lunæ etiamsi peræque deficientes sint, succidendis tamen silvis ineptissimæ omnino censentur? Nempe quia, si hiemem excipiamus, quovis alio tempore plantæ omnes virentiores, ac succulentiores sunt. Quæ major succi copia in caussa est, ut arbores, quæ verno, vel æstivo, vel etiam autumnali tempore cæduntur, facilius, & citius putrescant. Quum igitur ita se res habeat, id

id solum præcavendum heic est, ut hieme (melius vero sub initium) succidantur arbores; cæterum sive Luna tum crescat, sive decrescat, enim vero nihil refert.

61. Falluntur itaque, qui trabium non ita antiquorum cariem, vel putredinem ad Lunam referunt; eo quod alia, atque tempus cædendi postulabat, tum illa fuerit. Falluntur, inquam, propterea, quia hunc effectum ei rei inconsiderate attribuunt, cui minime attribuendus est. Et vero tantas effectus iste habere heic potest caussas, quantas non queo dicere. Ut nanque sileam tempus, quod idoneum est ad cædendum, de quo numero proxime superiore satis diximus. Hic sane effectus utique provenire poterit ex vitio soli, in quo arbores natæ fuerint; vel quod nutricius humor non rite in illo percoletur, vel quod Solis conspectui sit parum admodum obversum, vel ob aliam similem caussam. Ipsa aeris temperies, vel Cœli status, si adversus omnino fuerit, nempe si nimio ardori, vel humiditati, vel frigori, vel grandini obnoxiæ arbores fuerint, hunc quoque effectum gignere potis erit. Addê huc ægritudines, & morbos ferme innumeros, quibus plantæ omnis generis ex caussis tum externis, tum internis affici sæpe solent. Quæ quidem omnia quemadmodum arborum vitam modo breviorem, diuturnioremque efficere nulla certa lege possunt, ita, quum cæsæ fuerint, ob eandem ipsam rationem aliæ brevi putrescunt, aliæ vero diutissime conservantur. Atque hæc, & forsitan pluribus dicta sunt, quam exigebat ratio veritatis, minus tamen multis, quam postu-

poſtulat prave detorta, & inveterata ruſticorum Opinio.

62. Antequam modum aliquem, ac finem huic diſſertationi, qualiſcunque ſit, faciamus: Aſtrologiam metereologicam heic tantillum excutiamus, oportet, quæ tantæ hujus provinciæ pars vel maxima eſt: an ſcilicet aeris, ventorum, temporumque mutationes a Lunæ phaſibus, aliorumque aſtrorum adſpectibus quodammodo dependeant; adeo ut iſta attendentibus pluvias, ſerenitates, tempeſtates, aliaſque temporum viciſſitudines prænoſcere, atque in futurum prædicere conceſſum ſit. Id affirmant omnes quotquot ſunt Calendariorum compoſitores, in quorum verba non pauci antiquitatis ſtudioſi etiam nunc ſimpliciſſime jurant. Quæ noſtra hac de re ſententia ſit, ex iis, quæ copioſiſſime ſupra diximus, colligi facile poteſt. Quum enim Luna, ut oſtenſum eſt, nullo unquam pacto, neque lumine, neque attractione, neque effluviorum immiſſione in Terræ atmoſphæram agat; neque præterea ullus alius in eam agendi modus illi ſupereſſe videatur; qui fieri poſſit, ut eam ipſam atmoſphæram identidem immutet, non ſane intelligo.

63. Me non fugit, Aſtrologos, eoſque omnes, qui talibus quibuſdam aſtrorum obſervationibus plus ſatis ſunt addicti, quibuſcunque rationibus poſthabitis, artem ſuam omnem ad experientiam revocare. Sed quam jactanter de ſe id pronuncient, quamque vaniſſime in rem ſuam ipſi experientiam vertant; vel ex eo primum intelligi poteſt, quod tantum abeſt, ut ex certo quodam aſtrorum adſpectu, & poſitione certum aliquem effe-

effectum ipsi sæpius observaverint, ut potius asserere liceat, fieri non posse, ut id quoquo modo ab hominibus observetur. Siquidem apud Astronomos compertum, exploratumque nunc est, siderum adspectum, atque ordinem, qui observatus aliquando fuit, vel omnino nunquam, vel nonnisi post permulta exacta annorum millia eum ipsum iterum rediturum. En experientia de eodem recurrente siderum adspectu sæpius, ut ajunt, observato.

64. Deinde, si Lunam, ejusque phases spectemus, de quibus, utpote quæ singulis mensibus eædem omninò recurrunt, facile est, observationes instituere: nec ex iis quidquam, nisi inepte vaticinari, fas erit. Quum enim quælibet Lunæ phasis talis heic, atque ubique terrarum contingat sine ullo vel temporis, vel luminis discrimine; quidquid ex ea heic accidere putatur, item profecto ubique acciderit. Jam constat, pluviam, exempli gratia, quam quispiam ex certa quadam Lunæ phasi prædicere sibi sumit, etsi forte usquam dilabatur, eandem tamen per totam Terræ superficiem minime porrigi; quin sæpissime experimur, immodicos imbres maximam anni partem in quandam regionem defluere, dum in vicino quodam, atque finitimo tractu maxima est siccitas. Quid ergo est, cur eadem Lunæ phasis ubique præsens, non ubique eodem modo operetur? At enim, Astrologorum vaticinia eventu persæpe non carent? Non equidem inficior. Sed si homines ex rei eventu artem istam æstimaturi sunt; actum jam erit de omnibus Astrologis: quandoquidem, ut optime

mo-